

capellas. Insuper circa monasterium Mersseburgense unam capellam construxit in honorem S. Johannis evangeliste. Insuper in eadem urbe hospitale pro pauperibus suscipiendis construxit ac eidem hospitali plura bona contulit.

:Cenobium celle Pauline: in finibus Thuringie construxit 1106 anno Domini honesta et omnium laude digna dompna Paulina, filia Morichonis, que ibidem sepulta fuit a. D. 1107. Cujus cenobii fuit primus abbas Gerungus, monachus Hyrssaugiensis, ut post patebit.

Johannes Trithemius, Ann. Hirsaug. S. Gallen 1690. T. I, p. 342 sq.

MCVII. Anno Brunonis abbatis secundo, quarta decima die mensis Martii obiit sancta et venerabilis domina Paulina, quae multis annis apud Thuringos in dioecesi Moguntina pro Christi amore voluntarie inclusa juxta monasterium nostri ordinis, quod ipsa fundaverat, et ejus nomine usque in praesentem diem cella Paulinae vocatur, vitam in omni sanctitate duxit religiosissimam; et multis tam ante, quam post mortem miraculis coruscavit, et multos suo exemplo ad emendationis vitae semitas convertit: mortuo namque viro suo alium ducere contemnens, totam se divino mancipavit amori, constructoque monasterio in sua haereditate propria, quidquid habuit in sustentationem monachorum domino Deo ibidem servientium deputavit.

Nicolaus de Siegen, p. 271, 11: Cenobium Bürgel hoc in tempore ex eadem progenie sepedicte dompne Pauline fundatur a¹⁾)

Hec mulier sancta Paulina primo, sicut dictum est, virum habuit Morichonem, cujus frater erat reverendissimus et omni laude dignus Wernherus, qui pro sua sanctitate merito ab hominibus venerandus est. Hec mulier sancta Paulina Romam sepius visitavit et ad S. Jacobum in Hispaniam vadens in via miraculum fecit. Deinde duas filias, quas de secundo marito habuit, Deo in cenobio Gerinrode obtulit, quibus largiter sua dona obtulit. Prima filia :Engelsint: hec monialis valde in sciencia literali profecit et tandem se ad matrem contulit, ubi et locum in Deum proficiendi et requiem sepulture suscepit. Altera vero filia nomine :Gisela:, que dum alciore proposito sororem sequendam proponens, dum mores²⁾) faceret, inprosperata morte preventa, quod voluit, efficere non potuit. Tercia autem filia Pauline :Bertradis:. Hec viro matrimonialiter conjuncta; quo defuncto vitam sanctam assumpsit et religiosissime vivens et ut vitam ejus paucis concludam, plus semper boni voluit

1) Lücke von drei Zeilen, auf der ersten stehen noch die Worte 'fundatur a.' Die Stelle ist noch nicht genügend erklärt. 2) L. 'moras'. W.